



ΘΕΛΑΚΤΗΡΙΟΝ
PRO ATTEMPERANDO LUCTU
VIRI

NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE

JOHANNIS BESSERI,

Serenissimo ac Potentissimo Electori
Brandenburgico à Consiliis

RARISSIMÆ CHARISSIMÆQUE UXORIS

CATHARINÆ ELISABETHÆ

Ortu KÜHLWEINIÆ,

Fata immatura & insperata immane-quantum
deplorantis

ELEGIS *subsequentibus*
expressum

à

JOACHIMO FELLERO, Cygn.
Profess. Lips.

ANNO M. DC. LXXXIX.

Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "Mollius", "Ergo", "Quales", "Ebidit", "Namque", "Cor dolor", "Exerit", "Emolli", "Mollius", "Conjuncta".





TEutonicum dum condere Epos, quod duret in ævum,
Sitque perenne magis marmore & ære, parâs,
Grandisonos superans heroæ Carmine Vates,
Quales Budorgis, Slesica gemma, tulit,
BESSERE, ut BRENNUM mittas in secula MAGNUM,
Majorem quo non Marchica terra dedit,
Æternamque adeo FRIDERICH-VVILHELMIDA scribas,
Marchidos ut Statius, Teutoniævé Maro,
Magnarum jam magna canens præludia rerum,
Mox ipsa invicti Gesta stupenda DUCIS,
Prostratasque ab eo turmas, partosque Triumphos,
Hosque inter Prussæ libera regna plagæ,
Denique & extremæ momenta piïssima vitæ,
Queis, palmas post tot, Mors quoque victa fuit;
Hæc, inquam, BESSERE, parâs dum tradere fastis,
Mnemolynesque altis inseruisse tholis,
FRIDRICI auspiciis, nunc Brennica sceptrâ tenentis,
Turbaris Sociæ præcoce morte tuæ,
Cogeris & luctus superaddere luctibus atros,
Et lacrymis lacrymas accumulare novas.
Cœptum ergò tardatur epos. Nam Conjuge raptâ
Pars fuit & Cordis maxima raptâ Tibi,
Musaque BRENNI aliàs factis intenta Canendis,
De raptu querulos edit adactâ modos,
Quales, Eurydicen sibi cùm vidisset ademptam
Edidit in patrio Trax citharista solo.
Namque tuum immensus non tantum strangulat intus
Cor dolor, atque oculos permaduisse facit;
Exerit & sese lugubri carmine, quod vel
Emollire tigres, duraque Saxa queat.
Mœstius haud memini me quicquam audisse querelis,
Conjicere in chartas quas Tibi jussit amor,


Et

Et desiderium planè indelebile ELISÆ,
 Quæ quondam ambrosiæ ac nectaris instar erat.
 Nam mihi Candidulam licuit cognoscere mentem,
 Percipere inque tuo lautia multa lare,
 Nuper, navigeri cum præter littora Svevi
 AUGUSTI aspicerem regia tecta Novi,
 Osque ipsum Herois divino numine plenum,
 Quà jacet in mediis Uraniburga vadis.
 Ipsa videbaris mihi pullo Elegeia cultu,
 Cum legeres Cluistrisia verba tuæ,
 Postremùm ereptam queis affabaris ELISAM,
 Svadæ omnes adhibens Melpomenesque tonos,
 Tantus erat mœror, tam lectaque copiâ fandi,
 Haud possem ut lacrymas continuisse meas,
 Et meritò, BESSERE, doles. Charis ipsa, quid? ipsa
 Idalia atque Arete funere rapta Tibi est.
 Quantus enim rosei oris honos, quàm rara venustas,
 Quantus erat Pythus eloquiique nitor?
 Quantus item Charitum lepor & quam grata voluptas
 Terrenæ illius cernere volta Deæ!
 Ast rutilo Pietas ceu gemma nitebat in auro,
 Atque Arete Sociis concomitata suis;
 Nec vis ingenii, ac dignum vel Pallade acumen
 Deêrat ei, nec dos fœminei ulla Chori,
 Sidera quid Gentis referam, magnumque Parentem,
 Quem Consum experta est Urbs Philyræa gravem,
 ELECTORq; Ensi jungens insignia Rutæ,
 Præsidiumque ingens delictumque Themis?
 Sed quò magna magis sunt dona ac lumina ELISÆ,
 Quis terræ ante alios fulsit, ut astra polo,
 Hoc Tibi deliquium gravius mors illius affert,
 Eripit & clarum nocte nigrante diem.
 Ergò sedes Phariis veluti circumdatus umbris,
 Compareque orbatus gaudia rapta doles;
 Immò doles, seu nox nigricet, seu purpuret Eos,
 Decumbit tecum, surgit & ipse dolor,
 Et sive Ascanium spectas, Natamque tenellam,
 Plasmave, quod Matrem Dædaleâ arte refert,
 Sive aliud quodvis relictum pignus amoris,
 Amissæ toties pectora imago subit.
 Carmen ELISA Tibi est, Tibi somnium ELISA, nec unquam
 Labitur ex animo dulcis ELISA tuo.

Labier

Labier & nunquam illa potest. Nam candidus ardor
 In Te semper erat, nec temerata fides.
 Non ita nexilibus se vitibus illigat ulmus,
 Non ita amat castum casta Columba marem,
JANUM ut **ELISA** suum **Cœlo** ac **BRENNO** auspice **junctum**
 Deperiit rapidæ tempus ad usque necis,
 Ut Te, inquam. Hinc illæ lacrymæ, hinc suspriia mille,
 Carminaque hinc querulis tot modulata sonis,
 Postquam tam concors, tam fida erectaque **Confors**
 Avulsa est lateri per cita fata tuo.
 Sed lacrymis statuisse modum, frenareque luctum
 Fas tandem, leges nî violare velis,
 Quas **Sophie** Te sana docet, verbumque sacratum,
 Quod **Cœli** placitis obstrepuisse verat.
 Pone ergò, **BESSERE**, modum tot fletibus, ac tot
 Lessibus, atque animi nubila pelle tui;
 Dumque recepta polo cum foetu tertio **ELISA** est,
 Quò tua Te pietas tendere & ipsa jubet,
 Te **Patrem** **Ascanio** ac teneræ servato puellæ,
 Maternâ quæ jam destituuntur ope,
 Perpetuumque illud de **BRENNO** perfice **Carmen**,
 Seræ ut in exemplum posteritatis eat,
 Heroemque probet momenta per omnia **Magnum**,
 Teque in **Teutoniâ** **Virgili** obisse vices.
 Fallor? an immodicum placido vultu ipse dolorem
 Temperat, Imperii destina magna sacri
 Et **Brennorum** hodiè **Columen** regale, **FRIDRICUS**,
 Promittens ultrò fata serena magis?
 Sic est, Priscum igitur, **BESSERE**, relume **Viorem**,
 Tellus dum pulso frigore ubique viret,
 Blandaue purpurei currunt dum tempora veris
 Flatibus & **Zephyris**, post **Boream**, aura tepet.
OMNIA JAM VERNANT; (vox summi erat illa **Patroni**)
 In thalamo vernent omnia & ipsa tuo.





ΘΕΛΑΚΤΗ
 PRO ATTEMPERAN
 VIRI
 NOBILISSIMI AMPLI
JOHANNIS B
 Serenissimo ac Potentiss
 Brandenburgico à C
 RARISSIMÆ CHARISSIMÆ
CATHARINÆ EL
 Ortu KÜHLW
 Fata immatura & insperata in
 deplorantis
ELEGIS subsequē
expressum
 à
JOACHIMO FELLE
 Profess. Lips.

ANNO M. DC. LXX

